

etiam me latet; inquit *Ioach. Scheplitz. ad consuetud. Brandeb. par. 4. tit. 13. nu. 40.* his accidisse locis non ita pridem, quod quædam mulier quendam peregrinum ægrum divertentem apud se strangulaverit, & dum eo tempore nonnullis in regionibus pestis sæviebat, suspicio erat & illum hac re diem suum obiisse. Quapropter, statim, non inspecto cadavere, terræ mandabatur. Verùm non diu postea fama emanabat, hunc à muliere occisum esse, prout de pecuniâ, quam apud se occisus habebat, quod nonnihil retinuerat, fatebatur. Ideò vespillo jussus mortuum refodere, vestigia manifesta hujus rei apparuerunt. Et quidem nihilominus in initio facinus hoc constanter negabat, urgens ipsa quàm maximè, ut ad cadaver occisi admitteretur, & periculum fieret; num signum esset editurus? attamen cùm illud inter indicia legitima minimè reputetur, denegabatur illi; & tandem spontè factum hoc indicavit.

## ARTICULUS XXXIV.

*Indicia homicidii manifesti.*

I. Homicidii in rixâ commissi indicium est ad torturam, si probetur, reum accusatum vel inquisitum cum interfecto altercasse, & rixatum esse, *Bernh. Zieritz. hic, verb. inimicitias gesserit*, & cultello, gladio, vel alio genere armorum accepto, cum aliis vim intulisse, maximè si hujusmodi genus armorum sanguinolentum fuerit, *d. art. 34. juncto art. 148.* Limitationem vide apud *Zieritz. hic, verb. telum cruore conspersum.* Quod si de autore rixæ Judici non constet, nec arma rei sanguinolenta reperta sint, ad Judicis officium pertinet, ut de aliis circumstantiis & indiciis inquirat, *Ioh. Zang. d. c. 2. n. 161. 162. 163. 164.* ubi dicit: puto ex his præcipuum & singulare esse, si quis præter morem aptatus, & armis præparatus venerit ad eum locum, in quo rixa postmodum facta sit, aut si quis aliquâ injuriâ, vel vulneribus ab eo, qui jam vulneratus & interfectus dicitur, affectus sit maximè, quando suâ naturâ litigiosus est, quod indicium quoque notavit *Steph. hic.* Huc pertinentia tradit *Matth. Berlich. par. 4. concl. 11. per tot. à num. 1. usq. ad nu. 77.* qui omninò consulendus. Si quis ex pluribus in rixâ candelam extinxit, quid dicendum de eo, an præbeat indicium ad torturam? Vide *Renat. Choppin de domin. Francia, ad fin. lib. 3. fol. 725.* allegatum à *Bernh. Zieritz. hic, verb. aut similibus.* An pugnatōres omnes in dubio pœnâ capitis puniendi sint? Vide *Steph. hic, in fin.*

## ARTICULUS XXXV.

*Indicia infanticidii.*

I. Crudele facinus est, inquit *Iust. Gobleus* adeò Medeam aut Pontiam fieri, ut de necando proprio partu non retineat, sed, ut Ovidius canit, cælas armet in sua membra manus. Quò humanus quidem & turpis pudor, verecundiâq; plerumq; miseras adigit puellas, & perniciofa Diaboli suggestio, ut talia cogitent & moliantur, famæ dispendium se ita evasuras putantes, quum inte-

H

rim in